



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

13. Julii. Orationi deditus, nec ariditate dejiciatur, nec extollatur in consolatione: aridus recordetur gratiarum, quibus fruitus est, devotus reputet hanc esse à Deo elëemosynam gratis datam. S. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

Appetis alta, & nescis te ruinam appetere, quia tuam, quâ laboras, vertiginem ignoras, cades. Sublimior ille gradus pro te tutior non est; nec enim te Deo, sed vanitati conjungeret.

Judicia Dei abyssus multa; hanc scrutari si didiceris, invenies, quàm tibi securius sit officio, quod tam calidè appetis, carere gradum, quem tam avidè quæris, non obtinere. Sine te Deo.

Quid auro pretiosius; ditat; oculos recreat; sed ventrem non satiat: utilior ad manducandum est panis crusta, quàm aurum pondo. Ex aptitudine ad finem medii crescit utilitas. Quid te Deo magis conjungat, quâ discernes? cæcus es in rebus tuis. Deus totus oculus est.

13. Julii.

*Orationi deditus, nec ariditate dejiciatur, nec extollatur in consolatione: aridus recordetur gratiarum, quibus fruitus est, devotus reputet hanc esse à Deo elemosinam gratis datam. S. Ignat. ap. Barr.*

**N**on eâdem semper serenitate gaudet cœlum, quin atris persæpe nubibus obvolvatur; ita cum orantibus agit Deus.

alters

alternat vices, jam ubertate solatiorum perfundit animam ; jam siccitate facit exarescere. Utrumque è cœlo est.

Adest Deus, ut ad amandum alliciat ; abest, ut nostras ipsi vires agnoscamus. Adest, ut conatum nostrum remuneretur ; abest, ut, an sinè mercede ametur, exploret. Adest, ut cœli prægustum faciat ; abest, ut, quàm amarum sit, sinè Deo vivere, ostendat. In utroque Deus.

Orationi pretium nec ariditas, nec consolatio facit. Nec illa melior, quæ uberior, nec quæ siccior, continuò deterior. Voluntas nostra qualitatis distribitrix est.

Ut in humanis, sic & divinis læta succedunt tristibus, vel quia Deum varietas hæc delectat, vel ne par semper rerum facies nobis pariat fastidium.

### 14. Julii.

*Animarum saluti addictos ita oportet laborare, ut non tantum Deo, sed & hominibus propter Deum se gratos faciant, & divini honoris zelum ex proximi profectu moderentur. S. Ignat. ibid.*

**S**orores sunt virtutes, non colliduntur ad invicem, pacificè in eodem corde